

**Dissertatio medica inauguralis, amplectens quaedam de utero gravido /
Benjaminus Kissam.**

Contributors

Kissam Benjamin.
Royal College of Physicians of Edinburgh

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, 1783.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hm5uwz8q>

Provider

Royal College of Physicians Edinburgh

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by the Royal College of Physicians of Edinburgh. The original may be consulted at the Royal College of Physicians of Edinburgh. where the originals may be consulted.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
AMPLECTENS
QUAEDAM
DE
UTERO GRAVIDO.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI confesso,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

BENJAMINUS KISSAM,
AMERICANUS.

Soc. Reg. Med. Edin. Soc. Extraord.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

Multa sacro tegit involucre natura, nec ullis
Fas est fere quidem mortalibus omnia; multa
Admirari modo, nec non venerari.

LUCRETIVS.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXIII.

DISTRICTIO MEDICA
IN AURARIA
AMERICANA
Avunculo suo castissimo

UTRIBUS GREGORII
RICHTER DOSSHARKE

ANNIVERSARIO
DE NOVO FORTISSIMO

CURIALE ROBERTO S. N. P.
ACADEMIA ARIALIS G. R. O.

ACADEMIA FACULTATIS
PRO GRADU DOCTORATUS

Traditionis examina
Civem et amicum habet

BERNARDUS KISSAM

AMERICANA
Oratio

Pro Reg. Nat. Soc. Fortiss.

Ad diem 12. Septembris, hora locorum
Et amicitiam designant, et amicitiam studentium

Abbas...
Ad diem...
Et amicitiam...

EDMUNDUS
Pati quod avunculo amantissimo

AGNES BALFOUR SMITH

Academice Typographice

52 Gildergate Street

Avunculo suo carissimo

RICHARDO SHARPE,

De novo Eboraco,

ARMIGERO;

Viro

Omni virtute, quae

Civem et amicum decorat,

Ornato,

Ob amicitiam benignam, et amorem ardentem,

Quibus,

Patri quam avunculo similibus,

Se suosque semper fovit :

BENJAMINUS KRASSAM

Collectat

Anno gratissimo
Patris quousque venerabilis

Hanc dissertationem
Quibus

Opusculum adhibere iudicium

Opusculum adhibere iudicium

Anni benevolentia, morumque integritate

Medicinae artis proprie peritiam
Oratio

Vno, quomodo

Civem et suum decorat

Art. Obs. in Acad. Edm. Profr.

ALEXANDRO HANSTON, M. D.

Nec non

Sibi per triennium tradita
Vno

Opus praecipua exempla

ARMIGEROS

Quae se sunt dignatus

Opus de novo Episcopo
Opus de novo Episcopo

Et medicorum ibi facultatis facultatis

RICHARDO SHAW FRODIPROF.

SAMUEL BARB, M. D.

Articulo suo eximio
Vno praestantissimo

Item

Item,

Viro praestantissimo

SAMUELI BARD, M. D.

Med. Pract. et Mat. Med. in Coll. Novi Eboraci Prof.

Et medicinam ibi faustissime facienti,

Ob amicitiam integerrimam,

Qua se fuit dignatus,

Obque praecepta eximia,

Sibi per triennium tradita ;

Nec non,

ALEXANDRO HAMILTON, M. D.

Art. Obst. in Acad. Edin. Prof.

Viro, quem

Medicinae artisque propriae peritia,

Animi benevolentia, morumque integritas,

Plurimum insigniunt,

Ob innumera amicitiae indicia,

Hanc dissertationem

Animo gratissimo

Confecrat

BENJAMINUS KISSAM.

Item

Viro praefectissimo

SAMUEL BARD, M.D.

Med. Praef. et Mar. Med. in Coll. Novi Eboraci Prof.

Et medicinam ibi facultissime facientis

CORRIGENDA
Opusculum integrum

Quae sunt dignitas

Opus praecipue eximia

Sibi per trimum tradit

Nec non
Viro praefectissimo

ALEXANDRO HAMILTON, M.D.

Vir. Off. in Acad. Edin. Prof.

Viro, docti

Medicinis atque propriae peritiae

Animi benevolentiae, munusque integritatis

Primum integrum

Opusculum medicinae indicis

Hic dissertationem

Anno praecedenti

Conferat

BENJAMINUS RISSAM

CORRIGENDA.

- Pag. 15. l. 4. *pro service lege cervice.*
22. l. 10. *pro inveniuntur lege inveniantur.*
27. l. 5. *pro ampla lege amplae.*
33. l. 7. *post ricini; dele,*
8. *post enematibus, dele;*

CORNICENDA

Tab. 12. l. 4. De levis & cervicis.

22. l. 10. De inventis & inventis.

27. l. 7. De angulis & angulis.

UTERUS GRAVIDUS

33. l. 7. De utero & utero.

2. De cornuibus, etc.

DU M lingua vegetabilis et animalis
 quotidie lenescunt et moriuntur,
 nulla species per longam aevum lenem
 omnino perit. Nil quidem magis est mi-
 randum quam variis conditionibus natura
 benigna huic rei provide. Nam, ut tacent
 innumera feminae quae placentae profundunt
 quae sine admittione conceptus potest
 eximiam procreandi potestatem da anima-
 ta hoc praedita. Hic tamen, tot extant
 varietates in omnes erumpente tempus pa-
 rum

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

UTERO GRAVIDO.

DUM singula vegetabilia et animalia quotidie fenescunt et moriuntur, nulla species per longam aevorum seriem omnino perit. Nil quidem magis est mirandum, quam varia consilia quibus natura benigna huic rei providit. Nam, ut taceam innumera semina quae plantae profundunt, quis sine admiratione contemplari potest eximiam procreandi potestatem qua animalia sint praedita? Hic tamen, tot extant varietates ut omnes enumerare tempus pa-

B

rum

rum sufficeret ; quae dicturus sum igitur, ea omnia foeminas spectabunt.

Pleraque ad generationem pertinentia saepissime fuerunt indagata ; sed post plurimas theorias invicem deletas atque extructas, permulta densissimis tenebris adhuc obteguntur. In re adeo obscura, adeoque quodad omnia, incerta, si juvenis imperitus, de re medica scribere coactus, in errorem incideret, veniam certe impetrabit.

Cum mutationes, quas uterus graviditate subit, sim memoraturus, uterum ipsum describere oportebit ; quod igitur primum aggrediar.

Uterus in pelvi situs, in superiore extremitate vaginae, rectum inter atque vesicam suspenditur. Pyrum forma quodammodo refert ; sed a parte posteriore paulo planior est.

Magnitudo est in aliis alia. Longus est plerumque duos tresve digitos, latus ad fundum, unum vel duos, crassus unum dimidiumve. Gradatim tenuior fit ad cervicem versus ac os tincae.

Cavum

Cavum investitur tenui membrana quam plurima vasa penetrant. Figura haud abfimilis est triangulo oblongo, cujus latus brevissimum fundo, longiora lateribus uteri, utrinque respondent. Ad utrumque angulum fundi foramen est, adeo angustum ut fetam vix admittat. Haec sunt ora tubarum Fallopiarum. Ad inferiorem angulum, foramen penetrat cervicem uteri, et in superiore extremitate vaginae desinens, os tincae nominatur.

Corpus uteri est spongiosum, vasisque admodum numerosis flexuosisque instructum. Haec ab arteriis hypogastricis et spermaticis oriuntur. Arteriae utriusque lateris invicem communicant, et venae quoque cum haemorrhoidalibus. Nervi proveniunt a lumbaribus, sacris, et sympatheticis maximis. Vasa lymphatica praecipue inveniuntur in tunicis quas peritoneum suppeditat.

Uterus tegitur portione peritonei, quod duplex ab utroque latere abiens, ligamenta lata format, quae una cum peritoneo ad parietes

parietes pelvis currunt. Laminae ligamentorum, substantia cellulari connexae, continent ovaria, partem tubarum Fallopiarum, partem vasorum spermaticorum, et eorum quae ad uterum ipsum tendunt: Tegunt quoque nervos ad eas partes, et ad rotunda ligamenta, pertinentes.

Ovaria sunt duo corpora parva, ovi figuram referentia, paulo ab utero utrinque distantia, intra duplicaturam ligamentorum posita. Praeter tunicam a peritoneo derivatam, alia est ovarii ipsi propria. Utero alligantur ligamenti quodammodo rotundis, intra eandem duplicaturam quoque positis. Substantia est spongiosa et cellulosa, intra quam plurimae vesiculae, ova nominatae, inveniuntur.

Vasorum spermaticorum fere eadem origo est in foeminis ac in viris. Ex abdomine tamen non exeunt; sed per ovaria, uterum, ejusque appendices, disperguntur.

Tubae Fallopianae sunt duae flaccidae canales, vermibus quodammodo similes, quae oriuntur ab utroque angulo fundi uteri,

teri. Ora adeo sunt exigua, ut fetam aegre recipiant; sed diametros gradatim augetur, donec prope ad extremitatem perveniunt, ubi tubae iterum contrahuntur. In fimbrias desinunt, quae laxae in abdomine pendent.

Ligamenta rotunda sunt duae chordae vasculosae, quae, provenientes ab utrisque angulis fundi uteri, duplicaturam ligamentorum latorum, inde annulos muscutorum abdominalium penetrant, et semet in inguinibus, et superiore anteriore parte femorum, deperdunt.

Ut uterus sit conceptui aptus, aliquantum sanguinis, singulis mensibus, effundat oportet. De natura ac usibus hujus evacuationis multae extant disputationes; mihi tamen sufficit affirmare, quod a paucis negatur, eam esse conceptui, de qua nunc agendum est, omnino necessariam.

Cunctas opiniones quas medici, omnia fingere audaces, hac de re excogitarunt, recensere, foret aequè inutile et injucundum. Tot tam densaeque nubilae rei toti incumbunt,

bunt, ut aciem maxime subtilem philosophi sagacissimi adhuc effugerit. Sed disquisitiones hujusmodi sunt a meo proposito alienae; in animo enim est, mutationes ipsas quas graviditas infert, depingere, non modum explorare quo conceptus fit. Opinionibus Hippocratis, Aristotelis, Galeni, Harveii, aliorumque, igitur omissis, theoriam nunc a plerisque admissam breviter proponam.

Inter plerosque hodiernos convenit, rudimenta foetus in ovis foeminarum existere, quae solummodo animantur coitu; sed quomodo animentur, inter arcana naturae adhuc latet, et fortasse semper latebit. Cum tamen post coitum, semen fuit inventum in tubis Fallopiianis a Cheselden * aliisque; cum foetus ibi, in ovariis, etiamque in abdomine fuerunt conspecti; cum corpora lutea, quae semper post, nunquam ante conceptionem, observantur, numerum foetuum omnino adaequant; cum denique

sterilitas

* Cheselden's Anat. p. 276.

sterilitas semper sequitur harum tubarum obstructionem, veri videtur simile, conceptum, a semine ad ovaria, per tubas Fallopianas admissio, pendere. Analogia avium hanc opinionem firmat.

Plerisque igitur placet, fimbrias, gratissimo stimulo Veneris excitatas, contrahere et ovaria amplecti * ; quo semen ab utero transiens, ea ita afficit, ut ovum deponatur in extremitatem tubarum Fallopiantarum, et ad uterum ipsum deferatur. Hic per novem menses nutritur, modo nulla causa opus naturae impediat.

Ovo nunc ab ovario ad uterum deducto, proximum est ut traderem modum quo membranae deciduae formantur, tunc mutationes quas ovum in uterum admissum, dein quas uterus ipse, subit.

Ovum initio, uti vulgo creditur, vesiculam pellucidam, fluido limpido repletam, refert. Haec vesicula primordia foetus continet, una cum chorda umbilicali et amnii liquore.

* De Graaf de Mulier. Organ. cap. 16. ubi de generatione cuniculorum differit.

liquore. Duabus membranis propriis investitur, nempe amnio et chorio vero. Ovum citissime adhaeret cuidam parti, fundo saepissime, uteri interni, qui, membrana, ei quae chorion investit nec natura nec origine ab simili, obtegatur.

Mox post conceptionem, os uteri molli tenaci muco obducitur, cavum lymphae coagulabili impletur, et superficiem internam vasa pullulantia quodammodo asperam reddunt. Lymphae coagulabilis hisce vasibus obducta, gradatim crassescens in membranam reticulatam vasculosam (quod quoque in visceribus inflammatis videre est) formatur. Cum ovum ejusque membranae, nempe amnios et chorion, in uterum descendunt, lymphae coagulabili immerguntur, quae, vasa villosa chorion tegens, ibi format membranam ei in interna superficie uteri formatae similem. Illa est decidua vera, haec decidua reflexa, a Doctore Hunter nominata. Hae ab aliis nominantur duplex, falsum vel spongiosum chorion, et a Ruysch tunica filamentosa. Decidua reflexa ad foetum

foetum pertinet, et est per se membrana perfecta.

Decidua vera currit per totam internam superficiem uteri, exceptis service et tubis Fallopiianis. Non reflectitur super chorion, sed pergit formare partem placentae utero proximam, et postea, ubi scilicet ovum totum uterum impleverit, adjungitur deciduae reflexae, unamque membranam cum ea format. Haec opinio de formatione deciduarum rationi maxime consentanea esse videtur, et positum ovi bene explicat; sed si cum Huntero illustrissimo credamus, deciduam reflexam formari ex ovo ante se veram deprimente, difficile erit intellectu, quo pacto ovum inter uterum atque hanc membranam transire possit. Namque membrana ora tuborum Fallopiianorum, ex sententia Hunteri ipsius, non tegit*. Nonne licet conjicere, placentam initio ortam fuisse ab ovo (propria decidua tegente) deciduam uteri attingente, eique adhaerente?

C Nonne

* Vid. Tab. xxxiv,

Nonne deciduae, graviditate provectiore, cohaerentes, eisdem praebent effectus ac majus placentae incrementum praeberet? In cane, fele, aliisque animalibus, in quibus duae deciduae non sunt evidentes, placenta aequae crassa totum uterum ambit. Hinc forsitan constabit, placentam fore majorem vel minorem, prout deciduae invicem tetigerunt pluribus vel paucioribus punctis, et liquebit, cur media pars placentae sit margine crassior, curque membranae prope placentam magis quam alibi vasis abundant.

Mutationes ovi nunc indagare oportet. Hoc, aliquamdiu post conceptum, massa carnis videtur; at, tempore progrediente, omnia distinctiora evadunt. Pars in placentam transitura, a reliqua massa postea dignosci potest; faccus, in quo foetus continetur, ampliatur; partesque foetus ipsius gradatim evolvuntur. Ineunte graviditate, partes externae ovi reliquas multum superant, postea tamen res omnino aliter sese habent. Dum ovum, ex. gr. octavam novamve circiter hebdomadam, ovum gallinaceum

naceum magnitudine adaequat, embryon vix ad pondus scrupuli exurgit. Post tres menses ovum majus est ovo anserino, pondusque octo uncias, dum foetus non tres, adaequat. Sextum tamen circiter mensem, pondus foetus ad duodecim tredecimve, placentae et membranarum, ad septem vel octo tantum, ascendit. Mense octavo, pondus foetus est circiter sex vel septem libras, secundiarum, unam libram solummodo. Maturi foetus pondus est a septem ad novem libras vel ultra *, secundiae vix ponderosiores sunt quam in octavo mense fuerant. Vix necesse videtur notare, hasce proportionem, etsi plerumque justissimas, ob causas permultas, magnopere variare.

Foetus igitur in quatuor membranis includitur, quarum intima, viz. amnios, omnibus reliquis tenuior, pellucidior, et robustior, aquas, quibus foetus innatat, continet. Proximum huic est chorion verum, maxime robustum ac pellucidum post amnion, cui,

* Wrisberg Descriptio anatomica embryonis.

cui, substantia glutinosa, ita adhaeret ut facile separari possit. Hae membranae currunt super internam superficiem placentae, et externam partem chordae umbilicalis. Chorion proximum est chordae et placentae, iisque sat arcte adhaeret, et una cum amnio format tunicam chordae externam.

In primis graviditatis mensibus, aliquantum fluidi glutinosi inter has membranas continetur, sacculusque, albo liquore plenus, observari potest prope introitum chordae umbilicalis. Inter hunc sacculum (qui vesicula alba vel lactea, et umbilicalis fuit vocatus) et chordam umbilicalem, funis est ex arteria venaque composita. Sacculus nunquam nisi initio graviditatis invenitur, nec usus omnino innotescit.

Tertia membrana, quae verum chorion investit, decidua reflexa a Huntero nuncupatur, et quarta cavo utero ipsi adhaerens, ab eodem, decidua vera nominatur. Haec initio est admodum crassa, spongiosa, vasisque referta, praecipue ubi placentae, cujus
pars

pars materna vel cellulosa inde maxime formatur, appropinquet.

Structura deciduarum est similis. Superficies verae quae proxima est utero, superficiesque reflexae quae proxima est chorio, sunt laevissimae, et multis foraminibus, oribus nempe vasorum intrantium, perterebrantur. Altera superficies utriusque est aspera ac villosa.

Decidua reflexa, uti antea dictum, graviditate progrediente, veram attingit, eique arcte adhaeret, ita ut cum simul decidunt, difficillime separentur. Saepius tamen vera vel lamina exterior duplicis deciduae, post placentam reliquasque membranas morata, una cum purgamentis ejicitur.

Haec de membranis sufficiunt; nunc igitur ad placentam, et communicationem foetum inter ac matrem, progrediar.

Placenta in foeminis, non minus ac in quadrupedibus, duplex esse videtur. Pars altera spongiosa, ad matrem, pars altera, vasis admodum abundans, ad foetum pertinet. Pars materna sola ex vasis matris
injectionem

injectionem admittit, pars ad foetum pertinens nunquam nisi extravasatione, et vice versa. Placenta utero adnectitur per chorion spongiosum vel deciduam, et foetui per chordam umbilicalem. Magnitudo in aliis, et in eadem, aliis temporibus, est alia. Craffissima est circa centrum, gradatim tenuior erga marginem, unde membranae currentes, saccum in quo foetus, aquae, et chorda continentur, integrum reddunt.

Superficies externa est convexa et inaequalis, ut arctius utero adhaereat*; interna est concava, et, ut antea dictum, chorio ac amnio tegitur. Hic plurimae venae ac arteriae inter sese conjunctae, saepissime prope centrum placentae, chordae umbilicali originem praebent. E duabus arteriis, unaque vena, constat. Vasa teguntur continuatione chorii et amnii, substantia glutinosa,

* Connexio fit quoque per multa vasa quae inter uterum et placentam transeunt. Hinc, si placenta temere avellatur post partum, priusquam uterus sit contractatur, parturiens nimia haemorrhagia periclitabitur.

noſa, quae maximam partem chordae conſtituit, interpoſita. Magnitudo multum variat. Craſſitudinem digiti communis adaequat, adeoque longa, ut infantem exire tuto ſinat. Vaſa plerumque torquentur. Altera extremitas placentae adhaeret, altera umbilicum foetus intrat.

Ad rem imprimis difficilem atque incertam nunc perventum eſt, de qua tot lites moventur, quot componere minime poſſum. Multum ambigitur utrum circuitus ſit directus inter matrem foetumque necne, et plurima argumenta ſtant utrinque inſtruſta. Rem totam ſilentio lubentiſſime praeterirem, ni diſſertatio videretur manca. Quod veriſimillimum mihi viſum igitur proferam, minime quidem pertinax, ſed verum ſequi paratus. Qui contra circuitum directum contendunt, hiſce argumentis praecipue utuntur.

I. Vaſa chordae umbilicalis ab uterinis iniectione impleri nequeunt. E contrario, ſi injicias fluidum in arterias chordae, ſemper redit per venam ejusdem. Si tamen
 communicatio

communicatio esset inter vasa matris ac foetus directa, injectiones debent fluere libere ex his in illa.

2. Chorda resecta, parum sanguinis profuit, tantum scilicet, quantum in chorda ipsa, et in parte placentae ad chordam pertinente, erat; sed, si vasa ejus cum uterinis communicassent, haemorrhagia debet sequi. Haec tamen nunquam conspicitur, nisi ubi gemini inveniuntur, geminaeque placentae sint inter se conjunctae, quod quidem frequentissime fit.

Sunt tamen quibus haec argumenta parum firma videantur. Inter hos, Monroius anatomiae peritia, et scientia omnigena, nemini secundus, eminet insignis. Omissis omnibus quae ab analogia avium, vel eorum animalium in quorum uteris glandulae inveniuntur, ad argumenta ab injectionibus ducta, animum sagacem advertit. Quin res ita sese habeat, ut antea fuit repraesentatum, minime negat; contendit tamen periculum nunquam adhuc fuisse factum ea cura qua opus est. Quam difficile sit venarum

narum initia ab arteriarum finibus implere, monet. Huic viro eximio igitur placet, communicationem directam revera existere*.

Quantum ad parcam sanguinis quantitatem, a chorda resecta emissam, fautores circuitus directi id tribuunt contractioni subitae uteri. Haec contractio quidem vasa placentae diminuit, non tamen adeo, ut omnino claudantur. Placenta enim detracta, aliquantum sanguinis effunditur; unde constat, vasa antea non fuisse ex toto contracta.

Quia injectiones vi adactae cellularum speciem edunt (extravasatione nempe in cellulofam substantiam) nonnulli autumarunt sanguinem in has cellulas effluere, et inde absorberi per venas, quae venam umbilicalem formant. Monroius tamen jure rogat, cur in placenta recente hae cellulae, sanguinis concreti plenae, non conspiciuntur, et se saepius frustra quaesisse testatur.

D Quoniam

* Monroi Praelectiones.

Quoniam pars cellulosa placentae utero adhaeret, verisimile videtur, puriorem partem sanguinis ab arteriis maternis in eam influere, unde recipitur, modo adhuc parum comperto, in venas infantis. Sed sanguis quodammodo mutatur, et ex similitudine inter partem placentae cellulosam, et glandulas simplices, quidam collegerunt, speciem secretionis ibi locum habere.

Praeterea, sanguis e foetu per arterias egrediens fuscus est, idem per venam rediens floridior factus, mutationem, ei quam pulmo efficit, non absimilem, dum per placentam transivit, subisse videtur. Cum tamen dissertatio praestantissima, hac de re, coram societate Edinensi nuper fuit perlecta, cumque auctor ingeniosissimus experimenta, quibus opinio innititur, ea cura ac ingenio quibus insignitur, adhuc profequitur, plura verba de ea hic facere non opus est.

Omnia quae partes jam descriptas spectant, sapientiam et benignitatem certe monstrant. Foetus ita situs est plerumque, ut
caput

caput sit infima pars. In aqua innatat; unde ab injuriis externis melius defenditur, ejus motus minus sunt matri molesti, egressusque fit facilior. Circuitus eum inter ac matrem vel nullus est, vel adeo lenis, ut impetus sanguinis ex necesse sit prorsus fractus. Hinc turbatus circuitus matris foetum parum afficit; et certe, si res aliter sese haberet, ex aucta irritabilitate gravidarum, primos per menses, exque fragili natura foetus, abortus foret multo frequentior, et morbi matris forsan facilius ad foetum transirent. Plura hujusmodi addere foret et facile et gratum; sed ad mutationes uteri ipsius est festinandum.

Substantia ejus gradatim distenditur, pro incremento partium quas continet. Primos per menses forma fere eadem est ac ante graviditatem; sed dum ampliatur, cavum et fundus rotundiora evadunt. Operae pretium erit hic notare, primas mutationes uteri fundum praecipue afficere, et cervicis formam non multum, initio, mutari. Uterus inter crescendum nunquam
directe

directe sursum ascendit, sed magis ad alterum latus, saepissime ad dextrum, tendit. Daventer aliique, difficiles partus huic obliquo ascensui uteri tribuerunt; sed perperam, ex sententia auctorum accuratissimorum. Obliquitas equidem fat evidens est; sed non tanta fit quanta hunc effectum edere potest.

Quamquam uterus crescit ab initio usque graviditatis, magnitudo tamen non adeo augetur, ut exinde solum, per tres quatuorve menses, graviditas innotescat. Quintum circiter mensem uterus supra pelvem exurgit, et in gracili, formam globi, sub palma premente, exhibet. Mense septimo, ad umbilicum usque ascendit, quem postea superat, donec, nono mense revolvente, scrobiculum cordis fere attingit. Altius tamen surgit prima graviditate quam postea; nam parietes abdominis, post puerperium multo laxiores, facilius distenduntur.

Et si interdum ob nimiam distentionem uterus fit tenuior, crassitudo plerumque parum imminuitur: Substantia tamen mul-

to mollior et spongiosior evadit, et a vasis auctis, incrementum praecipue oriri videtur. Hoc incrementum per totum uterum, sed praesertim ubi placenta adhaeserit, (ibi enim venae adeo sunt ampla ut digitum admittant) conspicitur. Subita contractio uteri post partum, magisque post operationem Caesarianam, opinionem de causa incrementi, jam prolatam, confirmare videtur.

Os uteri interea occluditur, et in vaginam inferius descendit. Menses fluere desinunt, nisi ubi arteriae extra uterum sanguinem effundant. Professor noster illustrissimus Young, se vidisse exempla hujusmodi testari solebat.

Utero ita mutato, mammae tument, durefcunt, et interdum ad dolorem distenduntur. Papillae, praecipue in prima graviditate, flava areola cinguntur, et ex iis fluidum serosum exprimi potest. Hae affectiones mammaram, inter prima graviditatis signa, saepe inveniuntur.

Uterus

Uterus crescens viscera abdominalia haud mediocriter turbat. Hinc alvus adstricta communis est gravidis, vomitus, atque pyrosis. Cum uterus altissime exurgit in prima graviditate, mulieres tunc maxime ventriculo laborant. Haemorrhoides quoque haud raro gravidas infestant. Varices, imo interdum oedema, in pedibus inveniuntur, sanguine nempe in vena cava inferiore quodammodo interrupto. Uterus urethram vel vesicae cervicem premens, liberum urinae exitum impedit. Attamen multum ambigitur, quousque ii aliique ejusmodi effectus, mechanicae uteri actioni, sint tribuendi. Musculi abdominis, aiunt plurimi, adeo sunt laxi ut utero facile cedant, cujus incrementum praeterea adeo est lentum, ut abunde temporis partibus vicinis, ad semet ei accommodandas, detur. Affectus supra memorati igitur, una cum plurimis aliis, causae omnino diversae, nempe auctae irritabilitati, tribuuntur. Hanc causam lubentissime agnosco; alteram tamen non esse penitus rejiciendam, multa suadent.

Totum

Totum corpus adeo cum utero consentit, ut eo mutato, pleraque mutantur, eo aegrotante, omnia aegrotent. De morbis qui vitia mensium comitantur, differere non hujus est loci, nec depingere virginem rubentem, amabilem, horum vitiorum expertem; mihi sufficiet illustrare sententiam jam prolatam paucissimis exemplis.

Graviditas novos excitat in utero motus, ejusque irritabilitatem magnopere adauget. Ventriculus mutationum cito fit particeps. Nausea usque ad vomitum saepe urget, idque antequam moles uteri omnino augeatur. Dum cibus solitus antea gratissimus fastiditur, res antea teterrimae creditae, nec unquam sine fastidio conspectae, avidissime expetuntur atque vorantur. Fructus immaturi acerbissimi dulcibus anteferuntur; pisces putridi, gravidis, antea foetoris prorsus intolerantibus, gratissimi evadunt; et res parum nutrientes, uti creta, cinis, imo calceamenta ipsa, a quibusdam fuere comestae. Sed, si omnia hujusmodi quae apud auctores optimae fidei leguntur, perscriberem,

scriberem, nimis credulus forsan, certe nimis longus, crederer. Appetitus pravus, secundum inter et tertium mensem, maxime eminent, quo tempore abortus fit frequentissimus.

Mens quoque nunc mirum in modum irritabilis evadit. Res alias leves, et risu vel contemptu solummodo dignae creditae, nunc terrent, agitant, angunt. Ex metu periculorum vanorum vultus pallefcit, artus tremunt, et cor palpitat ad syncopen usque.

Interdum moeror ac moestitia animum deprimunt. Suspiria ex imo pectore emittuntur. Gravida torpida facta, nunc somnolentia nunc vertigine corripitur. Motus novi in utero sentiuntur, qui nonnunquam mulierem, quid rei sit mirantem, e sedili subito exilire cogunt. Multa mala quae gravidas invadunt, ea ab amenorrhoea exorta referunt, et cum menses semper cessant, cumque ovum parum sanguinis initio consumit, eorum obstructio forsan non nihil confert. Plethorae signa, quae haud
raro

raro semet ostendunt, eam fortasse agnoscunt originem.

Et si tot signa graviditatis fuere recensita, difficile saepe fit eam detegere; et, ubi de fama vel vita agitur, opinio nunquam est temere proferenda. Praeter mutationes supra memoratas, tactus iudicium magno-pere adjuvabit. Vagina brevior videbitur, os tincae inferior in vagina et mollior sentietur, uteri denique pondus digitum levantem magis premet.

Pleraque malorum adhuc memoratorum initium graviditatis infestant, et molesta magis quam funesta fiunt. Graviora tamen restant, scilicet, uteri retroversio, haemorrhagiae, et convulsiones.

Retroversio uteri frequentissima fit inter tertium ac quintum mensem, in iis nempe quibus muscoli sunt debiles ac laxi. Nimiram fatigationem, seu ambulando, currendo, vel saltando, sequitur. Fundus, in cavum ossis sacri descendens, rectum premit, et posteriorem partem vaginae angustat, dum os uteri sursum versus pubem spectat.

E Haemorrhagiae

Haemorrhagiae nunc sine nunc cum doloribus acerbissimis invadunt. Tutissimae sunt quas dolor comitatur. Quantitas multum variat. Interdum paucae unciae lente profluunt, circiter periodum menstruam, saepius tantum subito profunditur, quantum vires mire prosternit, sudores gelidos elicit, et pulsus ad deliquium lethale usque imminuit. Abortus non semper haemorrhagias quamvis largas consequitur.

Nullus morbus cui gravida est obnoxia aequae est dirus ac convulsiones. Hae raro ante menses ultimos semet ostendunt, et saepissime doloribus puerperii excitantur, iisque praeteritis, omnino evanescunt. Nonnunquam adeo sunt vehementes, ut, utero lacerato, infans in abdomen protrusus fuerit.

Regimen vel remedia, quae uterum gerentibus conveniunt, tradere, meum non est; pauca tamen de his non addere non possum. Ad statum gravidae semper est respiciendum. Diaeta parcior, sanguine interdum sed caute detracto, pingui et plethoricae,

thoricae, cibus magis nutriens gracili praecipiat. Exercitatio fit modica, et semper citra fatigationem.

Alvo adstrictae obviam est eundem lenissimis purgantibus, qualia sunt electuarium lenitivum, magnesia, decoctum mannae, oleum ricini, vel mitissimis enematis; catharsis enim plena est evitanda, quippe quae abortum semper minuitur.

Appetitus enormes, sunt neque stolidè fovendi, nec crudeliter cohibendi; sed, ubicunque salva sanitate fieri potest, iis est gratificandum. Si acidum in ventriculo sit molestum, magnesia adhibeatur.

Contra omnia quae mentem agitare vel deprimere possunt sedulo caveatur. Nullus tristis nuncius aures gravidæ attingat, nec ingratum spectaculum oculos offendat. Haec videbuntur levia nemini qui reputabit quoties abortus moestitiam vel horrorem fuerit consecutus. Ubi abortus non fit, forsan foetus laedi potest pathematibus matris; unde gentes apud antiquos sapientissimae,

tiffimae, animis gravidarum mufice, aliifque artibus mulcendis, operam dederunt.

Retroverfio uteri dolore acerbo, atque fenfu uteri quafi defcendentis, vulgo praeceditur. Tempus morandi nullum eft, fi enim initium morbi negligatur, moles uteri cito eo crefcit, ut omnes conatus, eum in priftinum locum reftituendi, irriti fint. Mulier igitur fine mora fe ad lectum conferat, ibique diu quiefcat; fanguis detrahatur, opium adhibeatur. Haec cito adhibita huic malo graviffimo praecavendo optime conveniunt.

Haemorrhagiae exigunt otium quoque; fi tamen perfiterint, membrae funt dirumpendae, et foetus eft educendus, feu dolores adfint five non.

Convulfiones faepiffime lethiferae funt. Libera fanguinis detractio et opium funt inter remedia contra eas efficaciffima.

Interdum omnia mala hujufmodi gravidis abfunt, immo haud raro melius quam alias valent. Quae phthifi periclitantur, eae, dum uterum gerunt, levamen experiuntur.

untur. Morbi igitur, qui nonnunquam occurrunt, neminem a connubio terrere debent. Virgo enim, quae Vestam Veneri antefert, pluribus et interdum gravioribus malis plectitur. Nil est cur chlorosin, et hysteriae diros impetus nunc depingerem. Animus fit moestus, nubilosus, et plerumque superstitioni pravae deditus. Nullus maritus nec amator inter taedium longi diei et moestae noctis, verbis benignis vel amplexu solatur. Nullus puer in aula ludit, patris amati imaginem exhibens, matrisque cor grata garrulitate delectans. Sed quo tendo? Stimuli naturae certe sufficiunt, et terror morborum nunquam adhuc maturam virginem ab ara Veneris abegit, et nunquam abigere poterit.

F I N I S.

